

nam Abbates illi, de quibus jura canonica dicunt habere quasi Episcopalem jurisdictionem, subditi erant Episcopis, ut eadem jura testantur; erant ergo illis inferiores non solum dignitate, sed etiam jurisdictione, subordinatione ac dependentia; ergo comparabantur ad illos sicut nunc ad suum Generalem vel Provinciale; ergo hæc subordinatio non obstat quominus nunc etiam dicantur habere jurisdictionem quasi Episcopalem. Nec jura antiqua fundantur in hoc, quod illi Abbates erant tunc supremi in sua religione, hoc enim parum referret, si potestas eorum adeo esset limitata, ut ad nullos actus Episcopalis jurisdictionis se extenderet; quod esse posset, etiamsi intra eandem religionem Superiorem haberent, nam subjectio ad Episcopos sufficeret. Imo nec ex cit. c. *Nullam*, etiamsi de potestate jurisdictionis intelligatur, satis colligitur illam jurisdictionem tunc fuisse tantam, ut quasi Episcopalis dici posset; nam verba illa: *Ab Abbatem potestas tota pertinere convenit*, intelliguntur respective, id est, comparatione facta ad alios monachos, cum quibus ibi fit collatio, ut patet ex illis verbis: *Quia nulla auctoritas remanebit Abbati, si monachorum potestati cæperit subjacere*. Sic ergo dicitur tota potestas esse in Abbate, quia tota, quanta est, in illo solo est, et semel collata, jam non pendet a subditis; quanta autem sit, ibi non explicatur, sed solum dicitur: *Universa quæ vel ad divini cultus reverentiam, vel ad utilitatem monasterii pertinent, Abbatis sollicitudo debet adimplere*. Ad hæc autem duo sufficere posset jurisdictio inferioris Prælati, ut Archiepiscopi, etc. Igitur, quod jurisdictio Abbatis sit quasi Episcopalis, non tam jure antiquo, quam novo, citato ex lib. 6, sufficienter probatur; ergo illis quoad hoc æquiparantur alii Prælati Conventuales religionum Mendicantium, non resistente saltem jure communi, imo aliquo modo adjuvante saltem per similitudinem rationis. Nam revera nulli eorum habent ex jure communi, sed ex propriis privilegiis, et quasi speciali jure, nec in dicto c. *Abbates* illis confertur hæc potestas, sed collata supponitur, utique per privilegia: constat autem locales Prælatos Mendicantium per privilegia sua hujusmodi potestatem habere, ut ex infra tractandis, a cap. 8, latius patebit, declarando in particulari actus ad quos habent potestatem.

13. Ratione tandem probatur, declarando vocem illam, *quasi Episcopalem*. Dupliciter enim potest aliqua jurisdictio dici Episcopa-

lis. Uno modo, ratione subjecti, scilicet quia est jurisdictio per se debita muneri Episcopali, et quasi jure suo postulans personam consecratam in Episcopum tanquam proprium subjectum suum. Alio modo potest jurisdictio dici Episcopalis ratione actuum, quia scilicet extenditur ad actus, qui communi et ordinario jure sunt proprii jurisdictionis Episcoporum. Sunt enim quidam actus spiritualis jurisdictionis, per se convenientes Episcopis, aliis autem non nisi quatenus aliquid participant de jurisdictione eorum. Jurisdictio ergo Prælatorum religionis, Episcopalis nominatur, quia revera se extendit ad actus jurisdictionis Episcopalis circa subditos talium Prælatorum. Hujusmodi enim actus sunt, excommunicatio aut suspensio, maxime si fiant jurisdictione ordinaria; item absolutio ab eisdem censuris, præsertim ab homine latis; item absolutio a casibus et censuris reservatis, præsertim Papæ, in aliquibus eventibus; item dispensatio in votis, in nonnullis irregularitatibus, et similes, quos participant prædicti Prælati religionum; nam, licet forte non quilibet illorum Prælatorum, quilibet tamen eorum potest plures efficere, et in eis excedunt ordinariam jurisdictionem Archiepiscopi et Archidiaconi; hi enim licet possint aliquando excommunicare, non tamen tam generali potestate sicut Prælati religionum, et præterea non possunt dispensare in votis, etc. Hæc ergo ratio satis est ut jurisdictio horum Prælatorum Episcopalis vocetur, non tamen simpliciter, sed cum diminutione, et ideo additur illa particula *quasi*.

14. *Particula quasi in assertione duo importat.*—Potest autem dicta particula duo significare. Primum, quod illa jurisdictio est (ut sic dicam) in alieno subjecto, id est, in non Episcopo; et hoc modo talis diminutio communis est omnibus Prælati non Episcopis, et ad illam pertinet quod non sufficit in tali persona ad exercendos omnes actus Episcopales, saltem eos qui consecrationem Episcopalem requirunt, ut quædam glossa citata, n. 9, dicebat, quamvis hoc non semper proveniat ex limitatione jurisdictionis, sed ex defectu potestatis Ordinis. Secundo potest per illam particulam significari diminutio intrinseca (ut ita dicam) ipsius jurisdictionis Episcopalis, quia nimirum in Prælato religionis non se extendit ad omnes actus, etiam puræ jurisdictionis, quos Episcopalis jurisdictio potest elicere. Et hoc modo etiam sumitur illa particula in præsentibus, et maxime

locum habet in Prælati conventualibus qui jurisdictionem habent magis limitatam, et ideo sine dubio non possunt omnes actus jurisdictionis Episcopalis, ut verbi gratia, dare litteras dimissorias ad ordines suscipiendos, et alia, de quibus infra. In Provincialibus etiam existimo regulariter etiam habere locum hanc diminutionem, quia non possunt omnia circa suos subditos, quæ possunt Episcopi circa suos, quia aliquid semper est Generalibus reservatum. De Generalibus autem ipsis dubitari potest, quia plenissimam habent jurisdictionem sub Summo Pontifice; nihilominus etiam in eis invenietur aliqua diminutio, et saltem hæc nunc occurrit, quod interdictum locale ponere non possunt, ut in t. de censur., disp. 36, sect. 1, n. 2, diximus; item ea, quæ specialiter possunt Episcopi ut delegati Pontificis non cadunt sub jurisdictionem Prælatorum religionis, etiamsi illa delegatio in jure contineatur, quia solum fit Episcopis.

15. Dico quarto: omnes dicti Prælati religiosorum in hoc conveniunt, quod habent immediatam jurisdictionem in omnes religiosos sibi subjectos. Conclusio est certa et communis, et de Prælati conventualibus est per se evidens, quia sunt immediati Prælati, habentes jurisdictionem in subditos, ut ostensum est, et inter illos et subditos non mediat alius Prælati; ergo necesse est ut illorum jurisdictio immediata sit in sibi subjectos, nam ad alios nullo modo extenditur; nam Prælati inferior non habent jurisdictionem in eos qui sui collegii non sunt, argum. l. ult., C. de Jurisdic. omn. judic., et c. *Cum ab Ecclesiarum*, ubi glossa, de Offic. Ordin. De superioribus autem seu universalioribus Prælati declaratur assertio ex comparatione ad Episcopum, Archiepiscopum et Patriarcham; nam Archiepiscopus ut sic non habet immediatam jurisdictionem in omnes subditos suæ provinciæ, sed ut Episcopus illam habet in sua propria diœcesi; in reliquis vero Episcopatus suæ provinciæ non item, sed illam habent proprii Episcopi; ipse vero solum mediate, id est, in casu appellationis, nisi forte dum visitat, ut alibi dixi, tom. de Censuris. Et eadem ratione et cum proportionem Patriarcha non habet jurisdictionem immediatam in Archiepiscopatu sui Patriarchatus, sed ad summum mediatam, juxta juris dispositionem. Non ergo ita comparantur dicti Prælati religiosorum, sed Provincialis æque immediate potest suam jurisdictionem exercere in quemcumque religiosum

suæ provinciæ, sicut proprius Prior ac Rector ejus; et Generalis eadem proportionem immediate comparatur ad omnes et singulos religiosos suæ religionis.

16. Sic ergo explicata conclusio sufficienter probatur usu, et institutione omnium religionum, quæ per hujusmodi Prælatos gubernantur; quæ consuetudo videtur sufficere ut dicamus hoc esse quasi jus commune, quamvis generale jus Pontificium non invenitur de hoc scriptum. Unde si ex speciali instituto in aliqua religione aliud servetur, illa reputanda est quasi exceptio a jure communi, quæ ad nos non spectat. Ratio vero hujus assertionis tota consistit in institutione; congruentia vero institutionis est, quia hic modus jurisdictionis est magis accommodatus statui religioso, tum ut subditorum salutem et commodis melius et efficacius per plures provideatur; tum ut ordo et subordinatio perfectius observetur; nam locales Prælati tam exacte et perfecte subditi esse debent Provincialibus, et Provincialibus Generali, sicut minimi religiosi suo Prælato. Hæc autem perfecta subjectio esse non posset, nisi universalium Prælatorum jurisdictio ad omnes et singulos respective immediate descenderet. Denique hæc jurisdictio religiosa proportionatur voto obedientiæ, et ad illius complementum et perfectam executionem quodammodo ordinatur; ideoque sicut votum obedientiæ immediate obligat ad obediendum omnibus his Prælati, ita in omnibus illis est jurisdictio immediate attingens universos subditos. Nec vero ex hac multiplici jurisdictione immediata sequitur aliqua perplexitas, vel confusio, quia non est sine ordine, neque est ita multiplex, quin ad unam revocetur, ut ex dicendis constabit.

17. *In quibus eadem Prælatorum genera differant.*—Dico ergo quinto, hujusmodi Prælatos differre inter se variis modis in hujusmodi jurisdictione, præsertim vero in amplitudine et dependentia, seu subordinatione. Et primo est clara differentia in amplitudine quasi extensiva quoad personas, seu quoad territorium, quale in præsentibus esse potest. Nam Prælati infimus solum in sum monasterium et personas ejus jurisdictionem habet; medius seu Provincialis tantum in personas seu monasteria suæ provinciæ; Generalis in omnes personas et loca religionis jurisdictionem habet; quod ex dictis satis declaratum est. Secundo, potest hæc differentia intelligi in amplitudine jurisdictionis

quoad materiam, quia nimirum quo universalior est quoad personas vel loca, eo etiam plures actus exercere potest, tam circa personas quam circa loca, eo modo quo capacia sunt. Et in hoc sensu etiam differentia est vera; ejus tamen intelligentia et probatio pendet ex perfecta cognitione potestatis horum Prælatorum, quam hic et infra a c. 8 trademus; nunc breviter declaratur exemplis clarioribus. Nam Provincialis potest exercere actum mutandi religiosum ab una domo in aliam, quod Prior facere non potest; et Generalis ab una provincia in aliam, quod Provincialis non potest. Circa domum etiam vel bona monasterii multa fieri possunt cum licentia Provincialis, quæ sine illa non possent, ut grave aliquid et difficile inchoare; contractus, præsertim alienationes bonorum, conficere; et aliquando in his Generalis consensus necessarius est, de quo non possumus certam regulam in particulari tradere, quia juxta varia instituta et consuetudines religionum est in hoc magna diversitas; generalis vero doctrina, quod hæc differentia aliquo modo in omnibus inveniatur, sine exceptione vera est.

18. Cujus ratio seu congruentia est, quia sicut hæc prælationes distinguuntur quasi in objectis, ita per se primo intendunt diversos fines; nam potestas infimi Prælati respicit per se primo commune bonum suæ domus; Prælati medii, suæ provinciæ; Prælati supremi, totius religionis; nam hæc fuit moralis necessitas multiplicandi has prælationes; ad ad hos autem fines diversa media accommodata sunt, et quo bonum intentum est universalius, eo etiam postulat plura et universaliora media; et personæ ipsæ secundum plures respectus subjiciuntur Prælato universali quam particulari, id est, non solum ut sunt partes domus, sed etiam ut sunt membra provinciæ, vel etiam totius religionis, cujus universalibus commodis inservire debet. Atque etiam e converso, quatenus hæc prælatio ad bonum singulorum religiosorum ordinatur, propter hunc etiam finem necessaria fuit hæc multiplex potestas, ut bona communia religionis possent convenienter ad majus commodum singulorum applicari, quantum expediat, et fieri possit sine incommodo communis boni. Denique, quia ratio postulat ut ad graviores actus et majora negotia gravior etiam seu major potestas requiratur, ut cum graviori etiam consilio fiant; potestas autem quo universalior, eo

est gravior; et ideo amplior etiam est in actibus et effectibus suis. Unde colligitur has jurisdictiones ita inter se comparari, quod quidquid potest inferior, potest superior, ob quartam convenientiam supra declaratam; e converso autem non quidquid potest superior, potest inferior, ob differentiam proxime traditam.

19. Alio modo dicebamus differre has jurisdictiones in dependentia, quæ primo considerari potest in origine seu in esse; nam inferiores Prælati ducere solent originem aliquo modo a superioribus, non vero e contrario, ut Provincialis a Generali, non vero e converso; et Rector a Provinciali, et non e contrario; sicut causa particularis manat ab universali, et non e converso. Dixi autem *aliquo modo*, quia in hoc potest esse varietas juxta varia instituta religionis; aliquando enim superior Prælatus omnino confert jurisdictionem inferiori, aliquando vero solum confirmat, vel illam ratam habet; nulla enim ratio cogit ut determinate aliquis modus ex his necessarius sit; tamen quod aliquo modo creatio inferioris Prælati pendeat a superiore, per sese est valde consentaneum rationi, et ad debitam subordinationem necessarium, et ut Prælatus superior possit integre suo muneri satisfacere, cum ad ipsum magis pertineat cura subditorum, quam ad quemlibet inferiorem Prælatum sibi subordinatum. In quo etiam considerandum est, quando unus Prælatus inferior, verbi gratia, Conventualis, habet plures superiores, necessarium quidem esse ut in origine, seu receptione suæ prælationis, pendeat a supremo Prælato vel formaliter, si ab illo confirmandus vel institutus sit, vel radicaliter, in quantum pendet a Prælato medio, verbi gratia, Provinciali, qui ab alio superiore seu supremo suam potestatem accepit; nam perfecta subordinatio hanc reductionem usque ad supremum Prælatum requirit. At vero e contrario necessarium non est ut infimus pendeat a medio, nam interdum potest immediate a solo supremo creari vel confirmari; neque hoc repugnat debito ordini, tum quia etiam supremus Prælatus est immediatus superior, ut num. 15 ostendimus; tum etiam quia Prælatus medius tenetur consentire ordinationi supremi, vel majoris Prælati. Uterque ergo modus inveniri potest in religionibus, et de facto invenitur, ut constabit varia earum instituta consideranti, et infra in speciali aliquid attingemus de Societate, in tractatu 3, lib. 10, cap. 3.

20. Sed objiciet aliquis contra posteriorem partem. Nam Provinciales vel Abbates creant Generalem in capitulo, et sæpe etiam Priores aut Guardiani Provinciales; ergo etiam superior prælatio ducit originem ab inferiori; est ergo hæc dependentia mutua, potestque esse sine inconvenienti, quia est respectu diversorum. Respondeo, Provinciales eligentes Generalem, non eligere illum ut Provinciales sunt, sed ut electores, quæ duo munia sunt formaliter diversa, nam actus eligendi per se non pertinet ad jurisdictionem Provincialis, unde a multis participatur, qui Provinciales non sunt; et e converso posset alius modus electionis institui, in qua Provinciales vel Abbates suffragium non haberent; igitur superior Prælatus nunquam pendet ab inferiori formaliter tanquam a Prælato; e contrario autem inferior pendet hoc modo a superiore, et ita intelligitur differentia posita. Qualis sit autem dependentia illa, quam habet Prælatus, qui per electionem creatur a suis electoribus, in sequenti sectione declarabitur.

21. Secundo intelligitur hæc dependentia in operari, quia nimirum Prælatus superior non pendet in suis actibus ab inferiori; inferior autem pendet aliquo modo a superiori. Utrumque enim constat ex usu. Et ratio prioris partis est, quia superior nec pendet ab inferiori tanquam a causa intermedia, cum possit sine illo operari, sicut ostensum est, nec pendet ut a causa dante virtutem operandi, ut proxime etiam dictum est; nullo ergo modo per se pendet. Dices: in naturalibus sæpe causa universalis pendet a particulari in agendo, saltem lato modo, id est, ut sine illa non possit effectum producere, ut sol non potest generare hominem sine homine. Respondeo, id habere locum in causis universalibus imperfectis, quæ solum immediate et quasi partialiter possunt concurrere, per sese autem non sufficient. Causa autem universalis perfecta per sese sufficit absolute ad effectum; qualis est Deus, et ideo simpliciter non pendet a causa proxima, sed solum ex suppositione, quod nolit absolute efficere effectum, sed dando tantum necessarium concursus causæ secundæ; tunc enim, licet non sit propria dependentia, est nihilominus necessitas influxus causæ secundæ. In præsentibus autem dictum est, universalem Prælatum esse ita perfectum, ut possit etiam immediate operari, si velit; et ideo absolute non indiget concursu vel consensu inferioris Prælati, sed solet hic esse necessarius ex quadam urbanitate supe-

rioris Prælati; et moraliter ac regulariter loquendo, ad bonum pacis, et ordinis, et melioris gubernationis conveniens est; absolute autem potestas est in superiore Prælato, et interdum expedit illa uti, vel in defensione innocentis subditi, vel ad consolandum afflictum, vel propter alios similes fines.

22. Ratio alterius partis est, quia causa particularis pendet ab universali in suis actionibus; nam quale est esse, tale est et operari. Hæc autem dependentia non est intelligenda cum rigore physico de influxu immediato, et per se, sed moraliter, imprimis mediate, quatenus potestas inferioris pendet a superiore, ut dictum est; deinde aliquo modo immediate, saltem ut a causa non impediante, cum possit. Quamvis enim necesse non sit ut superior Prælatus actu confirmet vel ordinet quæ inferior præcipit, tamen necessarium saltem est ut non contradicat, nam voluntas inferioris Prælati non potest esse efficax contra voluntatem sui superioris. Atque hinc sequitur alius modus hujus dependentiæ, qui in hoc virtute continetur, scilicet, quod major Prælatus potest coarctare jurisdictionem inferioris, non tamen e converso. Hoc posterius per se notum est, et colligitur a paritate rationis ex cap. *Nullam*, 18, quæstione secunda. Prius autem multipliciter etiam sequitur ex dictis. Primo, quia inferior Prælatus pendet in suo esse a superiore; ergo in jurisdictione; ergo in quantitate seu amplitudine jurisdictionis. Secundo, quia inferior Prælatus est subditus superiori; ergo si superior præcipiat ut in hac vel illa re non se intromittat, tenetur illi obedire, supponendo, nullam turpitudinem in eo præcepto includi; hoc igitur modo etiam potest limitare potestatem ejus. Tertio, quia Prælatus universalis potest immediate præcipere omnibus subditis; ergo potest eis prohibere ne in hac re vel illa pareant inferioribus Prælatibus; ergo hoc etiam modo limitabit facultatem illorum, quia ejus potentia et voluntas efficacior est. Denique hoc modo potest supremus Prælatus reservare sibi absolutionem a tali culpa, judicium in tali causa, vel talem dispensationem, aut etiam subjectionem talis personæ, et similia; et idem suo modo potest Prælatus medius circa infimum.

23. *Prælatus major, restringens jurisdictionem minoris sine causa, peccat.* — Statim vero occurrit inquirendum, an hæc restrictio requirat justam causam, vel possit pro solo arbitrio majoris Prælati fieri. Respondetur

brevis primo, si loquamur de his quæ conveniunt unicuique Pælati ex vi sui muneris, atque adeo de potestate ac jure ordinario, quoad hæc non posse restrictionem fieri licite sine justa causa; ita docent communiter Doctores in simili, tractando de casuum reservatione, ut in 4 tom. de Pœnitentia notavimus; est autem hic eadem ratio, tum quia unusquisque Pælati habet aliquod jus in re quoad jurisdictionem suam ordinariam; non ergo potest licite illo privari sine causa; tum etiam quia vel illa est pœna illata sine culpa, et sic illicite; vel est perversio, aut immutatio ordinis de se instituti ad bonum commune, et consequenter est præter regulam, quæ omnia, sine causa facta, sunt illicita; tum denique quia ex hujusmodi injustis restrictionibus multum potest perturbari pax, et oriri scandala. Unde ad minimum censeo hoc esse contra charitatem et justitiam legalem, et non est improbable etiam esse contra commutativam; quamvis hoc sit magis incertum, quia in his religionibus non videtur esse tam proprium dominium circa hæc jura vel officia.

24. *Valide tamen restringit, nisi restrictio sit contra bonos mores.* — *Delegata jurisdictio licite restringi potest sine causa, per se loquendo.* — Unde, his non obstantibus, censeo secundo restrictionem hanc validam esse, etiam si absque causa fiat, sicut etiam de reservatione casuum probabilior sententia fert. Cujus ratio est, quia voluntas superioris Pælati, absolute loquendo, potentior est, et nulla est lex positiva quæ hujusmodi factum irritet, neque ex sola natura rei potest censi nulla, quia multa illicite fiunt, quæ facta tenent, inter quæ videtur hoc computandum, quia nullam habet specialem rationem nullitatis, cum defectus magis sit in modo quam in substantia, cumque magis interveniat ibi injustitia legalis quam commutativa. Unde confirmatur, quia in his actibus major ratio habenda est boni communis quam privatæ injuriæ; ad bonum autem commune expedit ut talis restrictio teneatur et servetur, etiam si injusta appareat ex defectu causæ; et ideo facta tenet, ac valida est. Dico autem *ex defectu causæ*, quia si aliunde contineret intolerabilem errorem contra bonos mores, clare et videnter nulla est. Tertio vero addendum est, si quæ sunt concessa inferiori Pælati ultra jus ordinarium per delegationem superioris, et licite et valide revocari ab eodem superiore vel ab æquali, scilicet successore,

vel etiam ab alio utriusque superiore, pro sola voluntate, sine speciali causa; et tunc cessant omnes rationes supra factæ, quia delegatio est quædam gratia et favor: quanquam in hoc etiam cavenda sunt incommoda, quæ per accidens sequi possunt, vel contra commune bonum, vel contra pacem et charitatem singulorum, maxime si acceptio aliqua personarum misceri videatur.

25. *An Pælati major possit inferiorem amovere.* — Tandem inquiri hic potest, an hæc dependentia sit etiam in conservari, quod est quærere an supremus Pælati possit quemlibet sibi inferiorem suo officio privare; et eadem quæstio est de Pælati medio respectu sibi subjecti. Sunt autem duo certa. Unum est, sine legitima causa non posse licite, ut a fortiori ex dictis constat. Intelligendum autem id est, quando pælatio vel perpetua est, vel pro definito tempore datur, si intra illud auferatur, quia tunc procedunt fortius rationes in superiori puncto factæ. Si autem tempus non esset definitum, nec positive perpetuum, sed indefinite daretur ad arbitrium superioris, tunc per se non esset illicitum, nam cessat etiam omnis ratio justitiæ, dummodo nihil novum fiat contra consuetudinem, quod merito posset perturbationem aliquam vel infamiam generare. Secundo est certum, ex justa causa posse hoc et licite et valide fieri, quia jurisdictio non deest, et ad licitum usum sufficit justa et proportionata causa. Quod ita explicatur: nam hæc causa generatim loquendo duplex esse potest. Una est, culpa sufficiens ipsius Pælati; nam juste potest a suo superiore puniri; sed privatio officii potest esse justa pœna; ergo. Alia est, ratio aliqua urgens majoris boni communis; nam hæc munera non ad privatum commodum pælatorum, sed ad bonum commune religionis ordinantur; cura autem hujus boni communis, et jurisdictio ad illud tuendum proportionata, maxime pertinet ad supremos et universales Pælatos, ut supra declaravi; ergo in eo casu, et ex parte eorum est sufficiens potestas, et ex parte causæ sufficiens ratio, ut talis mutatio sanete fiat.

26. Tertium autem incertum est, scilicet, an talis privatio, sine justa causa facta, valida sit. Omissis autem rationibus dubitandi, quæ utrinque facile excogitari possunt, censeo illam esse validam, per se spectata hierarchica subordinatione harum potestatum, propter rationes factas in superiori puncto; nam eadem ratio est totius et partis in his

quæ similia sunt. Si ergo restrictio sine causa facta valida est, cum tamen sit diminutio seu ablatio partis jurisdictionis, etiam totius ablatio valida erit. Hoc autem, et reliqua, quæ in hoc capite diximus, intelligenda sunt, et supponendo in his pælati perfectam et monarchicam jurisdictionem, et tollendo impedimenta seu restrictiones quæ per legem, vel superiorem potestatem factæ esse possunt. Primum ideo adverte, quia in multis religionibus, etiam si Generalis vel Provinciales habeant regimen, non est simpliciter monarchicum, præsertim in rebus gravioribus, in quibus Generalis vel Provincialis nihil valide potest statuere sine concursu suorum *Definitorum*, aut quovis alio nomine vocentur, qui definitivum suffragium in hujusmodi negotiis habent. Igitur quoad hoc non possumus regulam generalem statuere, sed spectanda est consuetudo vel institutio uniuscujusque religionis, et juxta modum ejus applicare quæ hactenus diximus. Eademque ratione addita est altera limitatio; nam hæc potestas sive conferatur immediate a Summo Pontifice, sive mediante religione, et generali capitulo ejus, vel per supremum superiorem ad medios descendat, sæpe non datur absolute, saltem quoad plures actus ex dictis, sed cum restrictione et obligatione servandi talem formam aut modum, vel cum aliqua dependentia ab ipso concedente, aut simili alio modo; et tunc facultas non excedit concessionem; ideoque etiam quoad hanc partem consulenda sunt privilegia et statuta religionum, ut secundum ea limitentur omnia quæ diximus; nam illa procedunt per se, et quantum est ex jure communi, et ex natura et modo talium jurisdictionum; non est tamen dubium quin jura specialia possint multa addere, quæ hic a nobis non possunt considerari, sed ad singulas religiones id pertinebit.

### CAPUT III.

DE ELECTIONE SUPREMI PÆLATI IN RELIGIONE, DEQUE CONDITIONIBUS EX PARTE IPSIUS REQUISITIS UT LEGITIME ELIGATUR.

1. *Excluduntur ab hoc capite hæreditaria successio, et nominatio.* — Duobus modis potest magistratus aliquis creari, scilicet, vel per electionem, vel per voluntatem alicujus principis, seu Pælati superioris; omitto enim hæreditariam successionem, quæ in præsentem

materia, et in universum in spirituali potestate, locum non habet; omitto etiam modum succedendi per nominationem Pælati decedentis, seu finientis tempus suum, deligentis sibi successorem; quia, licet hic modus intrinsecam malitiam aut aliam repugnantiam absolute non involvat, in Ecclesia tamen in nullo genere propriæ successionis ac pælationis usu receptus est, ne pælatio ecclesiastica quasi testamento legari seu relinqui videretur, et ad vitanda pericula quæ esse possent, si unusquisque juxta suam propriam affectionem successorem sibi posset eligere; et ideo hoc est sacris canonibus vetitum, ut dixit Gratianus, in § *His omnibus*, 8, q. 1, post nonnulla decreta, quæ de hoc adduxerat, et in simili nonnihil in tomo de Fide, disp. 10, sect. 4, retuli. Dixi autem hoc non admitti in propriam successionem pælationis, quia nominare aliquem vicarium, qui præsit interim dum fit electio proprii Pælati, non ita repugnet, quia neque habet prædicta incommoda, nec per canones est prohibitum. Unde in nostra Societate, 8 p. Constit., c. 1, conceditur Generali, ut possit Vicarium nominare, qui statim post mortem ejus debeat Societatem congregare, atque illi præesse, donec Præpositus Generalis eligatur, quanquam neque S. Ignatius ipse<sup>1</sup>, neque aliquis ejus successor usque ad hæc tempora, in quibus scribimus, ea facultate uti voluerit. Itaque solum supersunt duo modi supra dicti, quibus Pælati religionis creari possunt.

2. *Prima assertio, Generalem per electionem creari.* — Ut ergo a supremo capite incipiamus, dicendum est principaliter Pælatum supremum et Generalem uniuscujusque religionis per legitimam electionem creandum esse. Hoc probat usus et institutio omnium religionum, et est consentaneum juri canonico, ut statim dicam. Ratio autem est, quia hic Pælati non habet intra religionem alium superiorem, a quo institui possit; ergo non superest alius modus nisi per electionem. Dices, habere hos Pælatos Summum Pontificem superiorem, a quo possent institui, sicut ab eo creantur Episcopi. Respondetur, potuisse quidem Pontificem Summum hoc sibi reservare, et hac lege et modo unamquamque religionem instituere et approbare; noluisse tamen, ut suavius et commodius reli-

<sup>1</sup> Apud Ribaden., lib. 1 Vitæ S. Ignat., c. penul.